







1739.

a. b.

1. Albinus, Jo. Henricus: Collegii jurisconsultorum . . . Decanus: . . . ad Dissertationem inauguralem (Christophori Sigismundi Guntneri) inserta. f.
2. Babinellus, Gebhardus Christianus: Ord. Juridici. . . Decanus: Lectori honorario v. p. 1. (ad Dissertationem in eum. Johannis Riederii Puckbusch inserta)
3. Berger, Jo. Gulielmus, Jo.: De rebus inervicibus.
4. Bose, Georg Math.: Oria Wittenbergensia Astronomica Physica.
5. Brades, Henricus: De Cicerone, juris civilis lecta ac interpretate speciatim in suis de inventionibus libris.
6. Brueckner, Francus: De lucta facultatis ad petitionem inferioris et superioris.
7. Carstovius, Fr. Benedectus: De ficta necessitate Scabinorum in causa criminali, quae delegatur Commissariis Rinepici.
8. C. Cellius, Christoph. Ludov.: De sermone maritali cum usore testamenti facienti causa 2 Regum.

9. Crollius, Christoph. Ludov. : Anandi officaster de testamento transigatur non inspectis tabulis
10. Crollius, Christoph. Ludov. : De usufructu praeteri volaparis
11. Crollius, Christoph. Ludov. : Utrum liberi actione quassationis venditiones parentum inefficaces rescere possint.
12. Crollius, Christoph. Ludov. : De origine et virtute juris non scripti.
13. Hamaccius, Christianus : Juris judicarii Saxonici racionem ad negata feminarum forensia spectantem . . . tribitur.
- 14¹⁷⁵ Hoffmannus, Fr. Gust. : De decanis et decanibus
2 Excerpt.
15. Hoffmannus, Fr. Gust. : Disputationes publicae ex historia Germanica . . . indicit et ad eas . . . curat.
Ius . . . iustitiae.

16. Haffmannus, Fr. G. G. : Ad concordatum Hen-
rici I et Callisti II de investituris episcoporum et abba-
tum . . . Disputabit
17. Kraussius, Fr. G. G. : De jure et effectibus
simultaneae investiturae in feudo mere here-
ditario
18. Leyserus, Augustinus : Ord. juridico Decanus : hactenus
solentem (ad disputationem in auz. Michaelis Festae
~~Wepkeri iussu~~)
~~Wepkeri iussu~~
19. Leyserus, Augustinus : De beneficio vulgo Vergriffen
oder Vergeben. Op. W. H. H. 1739
20. Leyserus, Augustinus : De residuis .
21. Leyserus, Augustinus : De repta .
22. Leyserus, Augustinus : De appellatione in causis
criminales ex jure Romano, Canonico, Germani-
cis
23. Leyserus, Augustinus : De perjurio
24. Schenk, Fr. G. G. : De haeresi philosophica

25. Specht, Christianus: De statutis, canonicis, liber-
nis et hospitibus mercenariis

^{a, b}
26. Mommerschäffers, Guillielm et Borsam, Joanne Guilielmo: Dis-
sertatio historica, qua de Siluris et Vigiliis . . .
et potissimum illius in hunc Cato anathemate
narrationes quosdam Baronii . . . examinan-
tas proponunt.

50
1739 7 8
D. B. 7
EX JURE GERMANICO
de
ficta necessitate Scabinorum
in causa criminali
quae delegatur Commissariis
Principis

P R A E S I D E
FRID. BENEDICTO CARPZOVIO
IVRIVM DOCTORE

AD D. XXX. MAII A. R. S. CIO IO CC XXXIX
PVBLICE RESPONDEBIT

CHRISTIANVS GVILIELMVS NATHVSIVS
LVCCA LVSATVS

VITEMBERGAE PRELO HAKIANO

ILLVSTRISSIMO ADOVE EXCELLENSSIMO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO
DE MÜNCHHAUSEN

DYNASTIE STRASVURTI CETERA
AVGUSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGI
ELECTORIS BRANSVICENSIS

MINISTRO STATVS INTIMO

MAGNO ADVOCATO CELLENSI
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE CVRATO

GRAVISSIMO

HEROI IN TOGA INCOMPARABILI

DOMINO AC MAECENATI

INDVGENTISSIMO



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO
DE MVNCHHAVSEN

DYNASTÆ STRAVSFVRTI CETERA
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
ELECTORIS BRVNSVICENSIS

MINISTRO STATUS INTIMO

MAGNO ADVOCATO CELLENSI
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE CVRATORI
GRAVISSIMO

HEROI IN TOGA INCOMPARABILI

DOMINO AC MAECENATI

INDVLGENTISSIMO.

EXIGVAM HANC COMMENTATIONEM ACADEMICAM
IN PIETATIS CVLTVSQVE HVMILLIMI
SIGNVM

CVM VOTO RELIGIOSISSIMO PRO PERPETVA
TANTI MVSAGETAE
EIVSQUE GENTIS SPLENDIDISSIMAE
INCOLVMITATE
SACRAM ESSE IVBET

DEVOTISSIMVS CLIENS
FRIDERICVS BENEDICTVS CARPZOVIVS



Non multo abhinc tempore in judicio quodam Regio-Electorali gravis admodum causa criminalis agitata fuit, in quam rei descenderant forestarii quidam, ob ingentem noxam, saltui cuidam Regio ab iis illatam. Dabat tum id negotii Serenissimus Princeps nonnullis Aulæ suæ Ministris & Consiliariis, inter quos simul erat Superior Saltuum Regionum Præfectus, ut inquirerent in crimen de residuis, quo tenebantur rei, ac ipse demum de pœna iis debita, ex Collegii Juridici sententia, quam pro religione sua exquiri jusserat, statueret. Obibant hi magna cura & solertia demandatas sibi partes, & adhibito Actuario jurato, eodemque Notario publico, diligenter cognoscebant causam. Finita cognitione, & cum jam sententia capitalis ferenda esset, flagitabant rei, concedi sibi defensionem; cujus facile impetrata venia, defensor non aliud remedium desperatæ causæ magis opportunum judicabat, quam ut fide Commissariorum sollicitata, eorumque procedendi modo impugnato, toti Inquisitioni nullitatis vitium impingeret. Facili negotio id confici posse credebatur, dummodo evincat, quod cum alter Commissariorum nunquam, de administranda justitia, sacramentum præstiterit, tum, insuper habita sanctione, quam Carolina Nemesis toties ingerit, per omnem Inquisitionem Scabini non adhibiti essent. Equidem nil profuit tum temporis delin-

A

quen-

quentibus ista defensio, quod nec Dicafterio, desuper consulto, per sententiam suam eorum poenam differre, nec Summo Principi, ad quem, provocatione facta, mittebatur relatio, Commissariorum gesta rescindere visum est. Interim hoc argumentum dignum esse arbitratus sum, in quo paulum temporis & operæ insumerem, ut, quæ fuerit ex instituto Germanorum veterum ratio, quod causæ criminalis disceptationi Scabini interesse debeant? quæ prima eorum origo? quæ partes officii? ex monumentis fide dignis eruam, factaque comparatione præsentis status judiciorum nostrorum, expendam, num eadem eorum hodieque supersit necessitas, ut sine iis consistere nequeat iudicium Criminale, ac ipsi adeo Commissarii Principis sine eorum præsentia nihil rite cognoscere, nihil quod rectum justumque est, statuere valeant? Jucundum hic imprimis erit, præteritam gentis nostræ memoriam repetere, & in patrii juris veluti sacrum quendam lucum secedere, tam simplici aspectu suo, & nativo decore amœnum, quam sanctitate & religione venerabilem. Tu jam ingredere, Lector, at bene memor, quod, qui loca adeunt religiosa, puram candidamque mentem afferre deceat.

I

SCABINORVM DENOMINATIO

Lustraturum veteris ævi pariter ac nostræ ætatis Scabinos, statim in limine tenet eorum appellatio. Nates ejus in primis scrutatus est elegantissimus JCtus, FRID. BRVMMERVS, in erudita, *de Scabinis*, exercitatione, quæ in BRVMMERIANIS, a GEORG. BËYERO editis, secundo loco comparet, quæve per totum *caput I.* cum in aliorum de hac re sententiis recensendis copiosus, tum in genuina

ruina vocis origine investiganda accuratus est. Arcessit eam
 ab antiqua voce Francica: *Scepeno*, judicem arbitrumque deno-
 tante, laudatque ejusdem opinionis magnos autores, MARQV.
 FREHERVM, in *not. ad Tr. de secret. Westphal. judic. p. 42.* GERH.
 IO. VOSSIVM, *de vit. Serm. p. 274.* & THOM REINESIVM.
 Sed persuasit nobis, qui non ita pridem ediro *Glossario Germanico*,
 Varro gentis nostræ dici meruit, IO. GEO. WACHTERVS,
 quod vox ipsa: *Scepeno*, sit derivativa, & descendat a vocabulo
 Germanico: SCHAFFEN, *Schöpfen*, quod etiam statuere, ordi-
 nare, disponere; item: ordinare decernendo, significat. *dist. Gloss.*
p. 1371. Hinc VERELIO in *Ind. skipa* est: confirmare, ordinare,
skipan, ordinatio, constitutio, lex; & in SPEC. SAX. *lib. II. c. 55. le.*
gitur: wat so de burmester scheppet des dorpes vromen: quicquid scul-
 tetus ordinaverit pagi commodo. Inde *recht schaffen, recht schöpfen*,
 in *Const. Frid. III. Imp. de A. 1451. idem valere, ac: jus dicere;*
 & *urtheil schöpfen*, per textus juris Saxonici ab Ill. HEINECCIO
 in *Elem. Jur. Germ. lib. III. t. 7. §. 265. in not. allegatos, est: pro-*
nunciare sententiam; id quod Sveci, recte LOCCENIO in
Lex. Jur. Svec. Goth. dicunt: skipa rätt, seu justitiam administra-
re. Quemadmodum ergo a Schaffen, fingere, Poëta veteribus
vocatur Scof & Scop, uti idem Cl. WACHTERVS in Glossario
suo, voce: Schaffen, fingere, fol. 1370. ostendit; ita non minus
recte a Schaffen, Schöpfen, jus dicere, appellatur Scof & Scop, ju-
dex, WEICHB. art. 100. & alibi passim, pluraliter: Scöffen, Scöppen.
 Ex qua voce, in lingua Francorum & Longobardorum usitata,
 deinde Latino-Barbaros formasse *Scabinos*, Gallos *eschevins*, in-
 ter omnes constat. Nec est, quod cuiquam mira videatur trans-
 formatio vocabuli *Schaffen*, aut nimis coacta detorsio ejus in
Scof, Scop, Scöffen, Scöppen. Notum enim est, quam quod no-
 tissimum, eandem vocem *Schaffen* Gothis efferri; *Skapan*; Anglo-
 Saxonibus *Scapan, Sceapan, Sceppan, Scippan, Scyppan*;
 Francis & Alamannis *Scaffen, Skaffon, Scephan*; Belgis *Scheppen*;
 Scandiis & Islandiis *Skapa, Skipa*; Anglis demum *Shape*. WACH-
 TER *Gloss. Germ. voc. Schaffen, f. 1369.* Simul vero patet, ita longe
 commodius procedere derivationem vocis, quam si eam cum

GROTIO in *append. Epistolar. n. 737.* HERTIO, *de Consultat. LL. & judic. in specialibus Imp. R. G. Rebusp. §. 16.* & ECCARDO in *Catech. Theotisc. p. 128.* petas quidem etiam a *Schaffen*, sed quod facere, eligere, creare, indicet, ut *Scabini* sint, quasi facti, constituti, & creati, sc. iudices; quod nimirum, uti infra dicitur, a *Missis Regiis* ad munus suum ordinarentur, ac *Comitibus* adjungerentur: quam in rem insignis locus est in *LEG. LONGOBARD. lib. II. tit. LII. l. 24.* Enimvero secundum hanc *Etymologiam*, uti bene observat *WACHTERVS l. c. voc. Schoppen, fol. 1458.* iudices illi potius appellandi fuerint *Geschöppen*, vel *geschaffene Richter*: quod ab usu loquendi alienum esse, & propius omnino a prima parte officii sui, quæ in jure dicendo versatur, denominari, nemo non videt. Diutius fortasse hæsi in unius vocis indagatone, quam aut exigerat instituti ratio, aut studium Lectoris patitur. At cum inciderim in locum, qui tot magna ingenia exercuit, & de quo tam diversæ sententiæ dubias eruditorum mentes traxere, juvabit, semel totam causam cognovisse, rationesque hujus denominationis subduxisse omnes. Verum nondum totam litem *Etymologicam* mihi peroratum esse video. Restat enim appellatio *Racimburgiorum*, & *Sachibaronum* seu *Sagibaronum*, quam si non cum voce *Scabinorum*, saltem cum eorum munere, paria facere, haud pauci contendunt. Sed brevis hic ero, & quæ horum de officio dicenda forent, aptiore loco infra tradam. Nomen vero quod attinet, *missis* iis, quæ de ejus originatione late disputat *BRVM-MERVS, de Scabinis, c. 5. §. 6-10. & 14.* tutissimum esse judico, si *Rachimburgios*, cum Autore laudato *d. §. 14. ECCARDO ad l. Sal. p. 96. HEINECCIO in Elem. Jur. Germ. lib. III. tit. 1. §. 19. & WACHTERO, Glossar. Germ. voc. Rache, fol. 1227.* dictos existimes a vocabulo *Rache*, quod in sensu forensi est causa litigiosa, & *bergen*, tueri; quasi dicas tuitores caufarum: *Sachibarones* autem, ex unanimi consensu *VOSSII lib. 2. de vit. ferm. p. 262. BRVMMERI, l. c. §. 10. OCKELII, de palat. Reg. th. 156. p. 149. STRYKII, diff. de jure Baronum, c. 1. §. 6. SAGITTARII, in Anqu. gentil. Thuring. lib. 1. c. 3. p. 20. HEINECCII, l. c. & novis-*

time

fime WACHTERI in *Glossar*. Germ. voc. *Sachibarones*, a *Sache*,
lis, rixa, & *Bar*, quod tum virum, tum in terminatione Ger-
manica, qualis & alias sæpe occurrit, & in primis evidens est in
verbis: *Schæppenbar*, *mannbar*, *dienstbar*, *nutzbar*, idoneum, capa-
cem, dignum, denotat, derives, ut sint litium & controversia-
rum juris periti viri.

II.

SCABINORVM ORDO DIFFERENTIA NUMERVS

Cognita vi vocis Scabinorum, iudices, quos illa denotave-
rit, propius nosse fas est. Ac longum foret, hic repræ-
sentare ordinem judiciorum antiquum, & de divisione Ger-
maniae in pagos, pagorumque in Comitatus seu *Golvias*, de
ordinaria Comitum per suum cujusque pagum jurisdictione, de
propria notione Comitum seu *Gravionum*, eorumque compara-
tione cum Comitibus Romanorum, exponere, non injucun-
da quidem, nec a scopo aliena, sed quorum notitiam satis am-
plam præbent, qui hanc Juris patrii partem excoluere penitus, P.
MVSAEVS de *antiqu. Germ. Republ.* HERM. CONRIN-
GIVS, in *diff. de Ducibus & Comitibus Imperii Germanici*, quæ in
Opp. Tom. II. num. IX. fol. 755. seq. & de judiciis Reip. Germanicæ,
quæ ibidem n. XV. fol. 864. seq. habetur; CHR. THOMASIVS,
in *diff. de jurisdictionis & magistratum differentia, secundum mores*
Germanorum, Halæ An. 1703. edita, & HERM. ADOLPH.
MEINDERS, de *judiciis Centenariis, seu criminalibus & civilibus*
Germanorum. Illud neminem, qui primis labris attigit Jurispru-
dentiam Germanicam, latere potest, & hic obiter repertiisse suffi-
cit, quod, ut habet CAROLI M. *præceptum pro Trutman-*
no Comite de A. 789. apud BALVZIVM in *Capitular. Reg. Francor.*
Tom. I. fol. 249. seq. „Comes, seu iudex pagi cujusvis, *resederit*
„*in curte ad campos in mallo publico, ad univerforum causas audiendas,*
„*& recta iudicia terminanda, superque Vicarios & Scabinos, quos sub*
„*se habuit, diligenter inquirendo, animadverterit, ut officia sua sedulo*
„*peragerent;* „quodque, sicuti testatur *præceptum I. LVDOVICI*
P II *pro Hispanis c. 2.* apud BALVZIVM *l. c. fol. 549.* „*tam crimi-*
„*naliter*

„*naliter, quam civiliter accusati, & ad placitum venire iussi, ad Co-*
 „*mitis sui mallum omnino venire debuerint, nec ulla persona hujus*
 „*jurisdictioni exempta fuerit, „LEG. ALAM. t. 36. §. 5. etiam in-*
 „*genus seu nobilibus, & Clericis minoribus non exceptis. HEI-*
 „*NECCIUS Elem. Jur. Germ. lib. III. tit. 1. §. 25. His jam Comitibus*
 „*adjutores, (sic enim expresse vocantur in LL. LONGOB. lib. II.*
 „*t. 40. l. 4.) dati fuerunt, quos Scabinos, item Rachimburgios vo-*
 „*catos supra vidimus, ut eos non solum juvarent in ferendis*
 „*sententiis, quin potius ipsi sententias dicerent; JVS PROV. SAX.*
 „*lib. II. art. 12. & SVEV. c. 80. §. 1. sed & absentis propter alia*
 „*Reip. commoda, aut valetudine adversa impediti, vices gererent.*
 „*Primarii Scabini vocabantur *Sculheti, Schultheisse, GRYPHI-**
 „*ANDER de Weichbild. Sax. c. 64. LEHMANNVS Chron. Spir.*
 „*lib. IV. c. 2. OCKEL de palat. Reg. th. 79. p. 73. nomen, quod pro-*
 „*babile maxime viderur ECCARDO in Glossar. Germ. voc. *Schult-**
 „*heis, sortiti a voce Longobardica *Scul, Schuld, debitum, & heis-**
 „*schen, quærere, exigere, quasi debitorum aut culpæ exactores.*
 „*Erant vero & minores Comitum Vicarii, quos *Centenarios, Cent-**
 „*Grasen, a *Centenis, seu Hundredis, i. e. minoribus tractibus, in quos**
 „*pagus unusquisque dissectus erat; item *Decanos & Tunginos, a de-**
 „*curiis, in quas subdivisæ iterum Centenæ, DV FRESNE Glossar.*
 „*voc. *Centena & Hundredus, appellatos, & minoribus causis dijudi-**
 „*candis præfectos fuisse, ex L. SALICA aliisque populorum*
 „*Germanicæ originis, manifestum est. Quas cum larga manu exci-*
 „*taverint CANCIUS in Glossar. voc. *Decanus, & HEINECCIUS in**
 „*Elem. Jur. Germ. lib. III. §. 23. hæc transferre, supervacaneum duco.*
 „*Vtrum vestigia *Centenariorum* istorum jam in TACITO pro-*
 „*stant, qui de mor. Germ. lib. 1. c. 12. scribit: „*Eliguntur in iisdem**
 „*„*Conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. CEN-**
 „*„*TENI singulis ex plebe Comites, consilium simul & autoritas adiunt; „**
 „*id quod contra CONRINGIVM de Duc. & Comit. §. 7. & de*
 „*judic. Reip. Germ. §. 12. & BRVMMERVM de Scabinis, c. 2. pro*
 „*Centeni Certi vel Septeni legendum esse ratos, enixe tuetur MEIN-*
 „*DERS de judic. Centen. c. 3. alienum ab hoc loco est disquirere.*
 „*Fallor, an admissa duplicatione literæ S. & si locum vexatum ita*
 „*legas:*

legas: *Centenis singulis ex plebe Comites &c.* tota his componi possit? Nec vero solus ego sum, qui *Centenas*, in quas pagi veteris Germaniæ dispersebantur, & *Centenarios* ex plebe *Comites*, Taciti ævo obtinuisse credam, cum LIPSIUS, BEVTHERVUS, & DITHMARVS in *notis ad b. l. Taciti*, eadem hic sibi invenisse vili sint, & qui multum vident in Antiquitatibus illis, CLVVERIVS, *lib. I. antiqu. Germ. c. 39.* & WACHTERVS in *Glossar. voc. Hundert*, omnino suffragentur. Illud tamen scire observat BRVMMERVS *l.c. cap. 2. §. 19.* quod ibidem TACITVS non obscuram Scabinorum nostrorum memoriam prodat, dum eos Comiti, *consilium simul & auctoritatem*, adesse perhibet. Inde enim dictos fuisse *Rachimburgios*, sive *Rachimburgios*, quæ duo male pro diversis habet WENDELINVS in *Glossar. b. voc.* dicere jam occupavimus. Unde & ex L. SAL. *l. 53. §. 3. & tit. 60. L. RIPVAR. l. 55. CAPIT. PIPIN. A. 755. c. 29. CAPIT. METENS. c. 9. Append. ad form. Marculf. c. 1. & 4.* magno consensu probant, GOLDAST. in *Ratpert. cas. c. 8. Tom. I. Script. rer. Alam. p. 106.* BIGNON. *ad Marculf. p. 588.* BRVMMER. *de Scabin. c. 5. §. 11. & 15.* ECCARD. *ad L. Salic. p. 96.* SCHATENIVS *histor. Westphal. lib. V. p. 350.* quod Scabinorum cum *Rachimburgiis* eadem fuerit dignitas, idem plane officium; saltem quod *Ripuariis Rachimburgiorum*, reliquis vero Francis *Scabinorum* nomen magis frequentaretur. Male autem cum his confunduntur *Sachibarones* a SOMNERO in *Glossar. ad Roger Tnyden X. Script. Angl. voc. Sachibarones*, & MEINDERS, *de judic. Centen. p. 85.* quippe quos ab iis longe diversos, cum numerieorum in iudicio disparitas, tum muneris plane alia functio prodit. *Sachibarones* enim in singulis *Malbergis* seu iudiciis, plus quam tres haberi non solebant, L. SAL. *l. 57. §. 4.* cum *Scabini*, uti mox dicetur, assiderent regulariter septem. Illi *Jureconsultorum* vicem præstabant iudici, & subinde extra iudicium quoque dabant responsa, tantæ quidem auctoritatis, ut *Gravionibus*, veluti *Prætoribus* apud Romanos a *Jctorum* Principis auctoritate jus dicentium, §. 8. I. de I. N. G. & C. recedere ab eorum responsis non liceret, L. SAL. *l. c.* Hi cum *Comite* in partem muneris veniebant, sic ut unum Collegium constituerent. BRVMMER *de Scab. c. 5. §. 10.* Vnde eos

III.

III. HEINECCIUS *Elem. Jur. Germ. lib. III. §. 19. in not.* apposite comparat cum Syndicis, quos hodie videmus adjungi Collegio Senatus, non tanquam membra, sed Consiliarios, & ut iudici Scabinisque, sublimioris juris plerumque imperitis, in dubiis rebus & arduis negotiis suggerant, quid facto opus sit? Plura nosse cupientibus de Sachibarorum munere, abunde animum explebunt GOLDASTVS in *Glossar. voc. Teuton. Tom. III. Const. Imp. præfat. VOSSIUS de Vit. Serm. p. 261. OCKEL de palat. reg. tb. 156. BIGNONIUS in not. ad L. Sal. t. 56.* Inter ipsos vero Scabinos diversos ordines fuisse, ex CAPIT. *de A. 823. §. ult.* colligit HEINECCIUS *Elem. I. G. lib. III. §. 21.* in quo mentio fit primorum Scabinorum, quos *Scultetos*, *Schultheiße*, appellatos fuisse, supra observavimus; & in Franconia hodieque in iudicio criminali distingui die *stummen Schöpsen*, sive die *Horcher*, *Noth-Schöpsen*, & *Wechsel-Schöpsen*, docet LVDOVICI *ad Const. Crim. art. IV. p. 13*; demum in Saxonia diversos haberi, die *Amts-Land- und Dorf-Schöppen*, prouti nimirum adiunguntur *denen Amts-Land-Dorf-Gerichten*, proluxe Consultiss. Dn. D. SPECHTIVS in *Dissert. de Scultetis & Scabinis, Wittebergæ An. 1736. edita.* Ut taceam primariam omnium, qui nostra ætate habentur, Scabinorum differentiam, qua alii sunt *Assessores in iudiciis Civitatum*, quorum nomen in plerisque locis abiit in *Senatorum*; alii, qui *Scabinatibus Lipsiensi, Hallensi, Jenensi, Brandenburgico*, aliisque assident *Jureconsulti*; alii denique, quos modo memoravi, *Scabini pagani*; de quibus singulis accurate agit III. LEYSERVS in *Med. ad ff. Spec. 70. m. 2.* Differabant item olim numero diverso, quo in iudicio eos assistere, fas erat. Præcipuus & solennior statuitur *septenarius*, in LL. *LONGOB. lib. II. t. 52. l. 23. & CAPITVL. CAROLI M. lib. III. c. 40. & lib. VI. c. 238.* eundemque *Rachimburgiorum* fuisse, ex L. *RIPVAR. tit. 34.* docet BIGNON. in *not. ad append. Marculf. apud BALVZ. Capitul. R. Franc. Tom. II. p. 952.* Aliquando binos suffecisse, probat vetus *JVS SVSATENSE art. 13.* & ipsa *CONSTITIT. CRIM. art. 47. 71. 91. 149. & 181.* ad inspectionem cadaveris, delinquentis apprehensionem & examen, itemque ad

con-

convictionem ejus, si in die executionis reuocet confessionem, plures non requirit, licet alias formando Iudicio criminali solenni, in *Art. 84.* perinde septem vel octo necessarios statuat, quos hodieque exigi putant KRESSIVS in *Comment. ad Const. Crim. ad d. Art. 84. §. 6.* & BEYERVS in *delin. Jur. Crim. ad h. l. pos. 3.* Ternarium eorum numerum ex *Responsis Magdeburgensium post Spec. Sax.* adstruit GRYPHIANDER de *Weichb. Sax. c. 9.* Quatuor meminit *O. C. art. 12. & 13.* qui cautionem, ab accusatore præstandam, determinent. Conf. item *art. 72.* Sex reperiuntur in *Charta quadam Alamannica, de sententiis judicum,* apud GOLDASTVM *tom. II. Rer. Alam. part. I. p. 58.* totidemque obseruarunt in *Constitut. Livon. A. 1583. Cracoviae impressis,* BRVMMERVS de *Scab. c. 6. §. 3.* & in *notitia iudicii pro monasterio S. Andreae Exalatenfis,* (quam integram vide apud BALVZ. *Capitul. R. Franc. in append. Actor. vet. Tom. II. f. 1489.*) SAGITTARIVS de *ducat. Thur. lib. IV. c. 9. §. 5.* nec plures in Præfectura Altenburgenfi inde ab ultima gestorum memoria fuisse receptos, testatur KEYSER in *Prax. Crim. p. 48. §. 12.* Octo habentur in *placito de mancipiis S. Remigii evindicatis,* teste SIRMONDO in *notis ad Capitularia* apud BALVZ. *Tom. II. p. 790. seq.* totidemque placuisse Aquisgranensibus, docet GRYPHIANDER *l. c.* Demum duodecim in consilium adhibitos fuisse probat LVDOVICI PII *CAPIT. II. A. 819. §. 2.* apud BALVZ. *Tom. I. p. 605.* huncque numerum ad exemplum duodecim Apostolorum Christi compositum, refert GLOSSA ad *Weichb. art. 10. & 16.* ac confirmat *tot. tit. in Spec. Suv. c. 81. von den Zwölfen, die dem Richter helfen,* BRVMMER. de *Scab. c. 6. §. 3.* MEINDERS, de *judic. Cent. p. 66.* qui huc citat *veterem Ordin. judic. Juliacens. c. 3.* Dissentit Ill. HEINECCIUS in *Elem. J. G. lib. III. §. 48. in not.* & per text. *WEICHB. art. 10. 13. 16.* undecim saltem Scabinos, duodecimum vero Sculterum fuisse contendit. Verum cum Sculterus habeatur primarius Scabinorum, & respectu Comitum tanquam iudicis, ipse duodecim Scabinos admittat Ill. HEINECCIUS, nihil admodum a BRVM-MERO dissentire videtur. Interim hæc numeri diversitas sa-

B

uis

tis argumento est, nihil quippiam singulare in eo requirendum esse, potius arbitrarii juris, & pro suæ cuiusvis Reip. habitu determinatum fuisse: nisi forte sacrum illum *septenarium*, ad perfectionem iudicii ostendendam, vel quod placet MATTH. STEPHANI in *Comment. ad O. C. art. 84.* & CARPZ. *Qu. Crim. 136. n. 12.* ideo electum dicere malis, ut ex impari iudicium numero, imparibusque votis res citius dijudicaretur.

III

SCABINORVM ELECTIO QUALITAS IVRAMENTVM
MVNVS ET AVTORITAS

Eligebantur Scabini olim quidem a *Missi Regis*, postea vero, ubi horum autoritas post Carolingorum ætatem eviuerat, a quovis iudice, merum imperium, seu Criminalem Jurisdictionem habente, quem sibi probos & peritos Iudicii Assessores allegere jubet O. C. a. 1. § 2. *Missi Regis*, dicti item *Missi dominici*, *Missi Palatii*, *Palatini*, DV FRESNÉ *Gloss. Lat. T. II. p. 586.* & *Legati a latere*, FORM. MARCVLF. *lib. I. c. ult.* ibique BIGNON. *in notis*, apud BALVZ. *Capit. T. II. p. 927.* qui quondam fuerint? tum satis explicant CAPIT. LVDOV. PII A. 823. §. 26. *seq.* CAPIT. *lib. II. c. 26. seq. IV. c. 56. 67.* & tot. CAPIT. III. A. 810. tum copiosius edisserunt FLODOARDVS *hist. Rbem. lib. II. c. 18.* SIRMONDVS *in not. ad Capitul. apud BALVZ. Tom. II. p. 769.* BIGNON *in not. ad append. Marc. ibid. p. 955.* FREHERVS *in Orig. palat. P. I. p. 2.* BRVMMER *de scab. c. 6. § 5-13.* & HEINECCIUS *in Elem. I. G. lib. III. §. 26. seq. li sc.* quos Reges Francorum ad id constitutos habebant, ut in acta Comitum & reliquorum Magistratum inquirent; ut Sancita Regum nota facerent, numque custodianrur rite? observarent; ut conventus publicos instituerent, in quibus si quid negligentius egerint Comites, in melius reforment; ut demum, si cui a Comitibus denegata fuerit iustitia, querela deferretur ad ipsos. Quater ergo per annum, & in quatuor locis sua *Placita* habebant, CAP. III. A. 812. §. 8. & CAPIT. *lib. III. c. 83.* ad eaque vocabant Comites, CAPIT. III. A. 812. c. 12. & CAPIT. *lib. V. c. 293.* reddituros ibi gestæ suæ administrationis rationes, CAPIT. *lib. IV. c. 77.* Simil in his eli.

eligerant, consentiente universo populo, Scabinos, LL. LON-
 GOB. lib. II. t. 52. l. 24. CAPIT. III. A. 803. c. 3. CAPIT. lib. III.
 c. 33. VI. c. 218. Addit. IV. c. 73. 74. eorumque scriptum indicem
 ad Regem defererebant. Malos ejiciebant, CAPIT. WORMAT.
 A. 829. c. 2. § 3. CAPIT. CAROLI CALVI t. 45. c. 9. bonos
 autem electos juramenti vinculo obstringebant. Ad hos appella-
 ri poterat a Scabinorum sententiis. JOACH. VADIANVS de
 Colleg. & Monast. p. 27. apud GOLDASTVM rev. Alam. T. III. &
 CONRING. de judic. vet. Germ. §. 87. Formulam investituræ
 Scabinorum, recentiore tamen, quippe a Friderico D. Saxo-
 niæ A. 1450. Halæ peractæ, exhibet OCKELIVS de palat. Reg.
 in append. docum. lit. E. p. 179. seq. Ipsa electio circumspccto agebatur
 judicio, nec nisi quibus erant a LL. requisita decora, in hunc or-
 dinem cooptabantur. Recensent ea HENR. TVRCKIVS in Justit
 Carolinis, ad A. 785. BRVMMER de Scabin. c. 7. & GRYPHIAN-
 DER de Weichb. Sax. c. 64. Nempe Scabinales, ut sic loquar, seu
 ut tum vocabant, Schöppenbare, Weichb. art. 16. gloss. art. 33. Land-
 N. lib. II. art. 12. III. a. 19. 46. 55. habebantur, 1) qui ingenui erant,
 imo nobiles, LL. LONGOB. lib. II. t. 52. l. 24. & quatuor avos
 ostendere parati. SPEC. SAX. lib. I. a 51. Servi ergo, aut infamia
 notati, quæ nullæ dignitatis portæ parent, l. 2. C. de dign. hujus
 quoque muneris aditu arcebantur. BRUMMER de Scabin. c. 7. § 5.
 Et qui forte essent alterius homines proprii, manumitti prius de-
 bebant, uti ex COCCEJO, PLOENNISIO, aliisque docet E.
 STOR de Ministerial. p. 218. Indigenas 2) oportebat esse, & cives
 Reip. ut in judicando moribus patriis, quibus a teneris unguicu-
 lis imbuti, inhærent tenacius. CAPIT. lib. VI. c. 343. Maxime
 3) in iis spectabatur probitas, ut integri vitæ scelerisque puri, man-
 sueti, veraces, æqui bonique amantes essent, CAP. I. A. 809. c. 22.
 sive ut in CAPIT. II. A. 809. c. 11. & CAPIT. lib. III. c. 56. dicitur,
 quales meliores inveniri possunt; ac inprimis ut donorum abstinentes
 essent, nec se corrumpi paterentur, aut quo magis minusve aliquid
 in officio peragerent, pecuniam acciperent. CAPIT. I. A. 809. c.
 33. CAPIT. lib. V. 290. Addit. IV. c. 107. Denique 4) juris peritia
 B 2 pollere

pollere decebat, ut ferendis sententiis pares essent. CAPIT. *lib. I. c. 60.* SPEC. SVEV. *c. 80. §. 1.* Easdem fere virtutes in Scabinis exigit ORD. CRIM. *art. 1.* Has ut tuerentur perpetuo, nec facile se retexant, & a primo vitæ tenore desciscant, juramento infuper adstringi solebant muneri, idque publice sub dio ad mallum præstare tenebantur, LL. LONGOB. *lib. II. t. 41. l. 3. t. 52. l. 24.* CAP. A. 829 *tit. 2. c. 2.* CAR. CALVI. *t. 45. c. 9.* ADDIT. IV. *c. 105.* Ritus hujus juramenti singularem exponit TVRCKIVS in *Faßtis Carolinis*, l. c. ita: „*Scabini creandi, ubi in occultam Cameram introducti fuerint, detectis capitibus procumbunt in genua, duosque digitos manus dextera imponentes gladio, & laqueo, qui istic, quoties judicium peragitur, semper scamno vel mensa positi visuntur, jurant fidelitatem judicio: amatuos equitatem, delaturos quæcunque cognoverint, nec quicquam eorum, quæ præscripta & usitata sunt, transgressuros, denique commoda & emolumenta judicii pro viribus curantur.*” Ipsam formulam solennem juramenti, e conceptissimis LL. verbis compositam, tradit GLOSSA Land R. *lib. III. a. 54. n. 3.* Aliam ex Ord. vet. Juliacensi exhibet MEINDERS *de judic. Centen. p. 65.* Item aliam ORD. CRIM. *art. 4.* Plenissimam vero, omnesque muneris eorum partes complexam, HARTVNGIVS in *diff. de sculet. & Haymburg. c. fin §. 9. not. 2.* Jam ut proprius ad ipsum Scabinorum officium accedamus, longe diversum illud fuit ab officio Assessorum apud Romanos. Licet enim hoc, perinde uti Scabinorum, constiterit in *cognitionibus* causarum, *posulationibus* Advocatorum *dijudicandis*, *libellis*, citatoriis, excicatoriis &c. emitendis, *edictis* publice proponendis, *decretis*, causa cognita, inter partes ferendis, & *epistolis*, seu relationibus, subinde ad Principem mittendis; l. 1. *D. de off. Assess.* ipsi tamen Assessores Romani, non tam judicum, quam consiliariorum personam gerebant, & deligebantur a Magistratu, cui assidebant, nec sine Præsidente suo jus dicere, aut aliud negotium expedire poterant. l. 2. 13. *C. de assess. Nov. 60. c. 2.* At Scabini fere semper a Principe adjungebantur Comiti, ut Collegæ essent & Conjudices, ac ipso absente tractare possent causas, & ex votorum pluralitate sententias

tias ferrent, & alias vicem Comitis gererent. GLOSS. GERM. ad lib. I. *Jur. prov. Sax. art. 62. f. 530.* & ad lib. III. *art. 78. f. 704. seq.* SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. in for. Germ. Exerc. V. §. 23.* III. LEYSERVS *Medit. ad ff. spec. 70. med. 1. ZAHNIVS Polit. Munic. lib. II. c. 19.* Eratitem officium eorum hereditarium, SP. SVEV. *c. 79. §. 3. 5. fecus* atque apud Romanos. A ferendarum sententiarum munere in *Const. Crim. art. 1. nar' εζορν* vocantur Urtheiler, & in *Lubecensium Statutis lib. V. t. 1. art. 1. repertores sententiarum*, Finder: ex quo frequens est apud Autorem des Nichtsteigs formula: *so vintme.* HEINECC. *Elem. Jur. Germ. lib. III. §. 265. in not.* Pertinent huc textus JVR. SAX. *lib. II. art. 12.* & SVEV. *c. 80.* „Wo Schöpsen sind, die sollen Urthel sprechen über ein jeglich Ding, „und niemand anders; „item SPEC. SVEV. *c. 73. §. 4.* „Vor „weltlichen Gericht sprechen die Richter nicht Urthel. Das ist da „rum gesetzt, daß sie nicht alle weise Leute sind, und daß viel gewöhnlicher ist, daß unter den Leuten alle die vor ihm sind, viel weiser „Leute sind, denn er ist. „ Ac ceremoniis quidem singularibus officio suo fungebantur, quarum rationem vix idoneam reddit GLOSSA *Land. R. l. 3. art. 69.* Scilicet judicatori 1) peculiaribus confidebant scaminis, SP. SVEV. *c. 79. §. 4. c. 81. §. 1. a* quibus ipsum adeo nomen Scabinorum derivat cum GLOSS. *Weichb. art. 20. num. 15.* KÖNIG *Process. & Pract. 1. de assess. p. 237. conf. BECMANN in orig. Lingu. Lat. p. 953.* 2) nec pileos, nec pepla, nec chirothecas secum habere, chlamyde autem super humeros indui, & inermes judicare fas erat: SPEC. SVEV. *c. 80. §. 2.* 3) Jejuno stomacho & impransis sententias hauriebant, LL. LONGOB. *lib. II. t. 52. l. 4.* SPEC. SVEV. *c. 80. §. 3.* 4) Sedentes sententiam rogabant, stantes vero eandem reprobabant. SPEC. SVEV. *c. 79. §. 4. c. 80. §. 4.* *Land. R. lib. I. art. 12. n. 5.* BRVMMER *de Scab. c. 7. §. 19.* Latius, & eleganter, ut omnia, persequitur modum, judicia privata exercendi apud veteres Germanos, amor ac delicix orbis eruditi, IO. GVIL. HOFFMANNVS, in *Dissertatione I. quam de argumento isto edidit Francofurti A. 1736.* cui ut propediem jungat alteram, hancque Venerem nobis integram exhibeat, in publica commoda precor. Tandem ipsum judicium Scabinorum tribus absolvetur actibus,

bus, nimirum *inquirendo, interrogando, & respondendo*. Inquirebant prius in rei veritatem, auditis testibus, inspectis documentis, examinatis aliis probationibus. Interrogabantur deinde a Comite, ut animi sui sententiam aperiant, & quid sibi in hac causa justum videatur, exponant. Demum respondebant de jure, & ex placito eorum ferebatur sententia. Luculenter probat illum procedendi modum *Charia Alamannica XCIX.* apud GOLDASTVM, *Script. rer. Alam. Tom. II. p. 60.* Debebant vero sententias ferre collatis consiliis, nec proinde quicquam valebat, quod unus Scabinorum, absentibus reliquis, statueret aut pronunciaret. *Weichb. art. 100.* Si discrepant sententiis, pars major concludebat. *JVS PROV. SVEV. c. 108. §. 4.* Tum vero tanta erat hujusmodi placiti autoritas, ut, qui temere illud impugnare ausus fuerit, Advocatus, XV. solid. culpabilis judicaretur; qui vero nec in eo acquiescere, nec blasphemare veller, tamdiu carceri traderetur, usque dum alterum eligeret; *CAPIT. lib. III. c. 7. LL. LONGOB. lib. II. c. 52. l. 23. OCKEL de palat. Reg. tb. 84.* ac qui plane rem judicatam repetere præsumeret in mallo, ibique testibus convictus fuerit, aut XV. sol. solveret, aut totidem ictus a Scabinis, qui causam prius judicaverant, pati teneretur. *CAPIT. II. A. 803. c. 10. LEG. LONGOB. lib. II. t. 60.* Contra vero prævaricantium Scabinorum, aut contra jus fasque statuentium, eo gravior pœna erat, ita ut vel dignitate exuerentur; *LL. LONGOB. lib. II. c. 52. l. 18. PISTOR Script. rer. Germ. T. I. p. 324.* vel damnum alteri injusto judicio illatum, in duplo restituere; ac præterea XL. solid. Regio fisco inferre cogentur, *L. BAJVAR. tit. 7. c. 18.* aut si solvendo non essent, manus amputatione pleckerentur; *SPEC. SVEV. c. 79. §. 2.* quin, pro re nata, capitali supplicio subderentur, quod alter Scabinus, carnificis personam tenens, de iis sumere, ac septem pedibus altiorem reum suspendere solebat. *FREHER. in not. ad tr. de occult. Westph. jud. p. 48.* Quamvis ergo justa de causa impugnari omnino posset Scabinorum sententia, id tamen in continenti fieri debebat, nec ideo decendum indultum fuisse constat, *JVS PROV. SAX. lib. II. art. 6. HEINECC. El. J. G. lib. III. §. 275.* qui nititur inprimis

mis *Glossa Germanica d. l.* Quod præterea omnes scripturæ publicæ, tam super actis in iudicio, quam contractibus privatorum concinnari solitæ, coram Scabinis confici, ac confectæ iis iterum ostendi debuerint, ut fide ac autoritate publica munitæ viderentur, LL. LONGOB. *lib. II. tit. 40. l. 1.* cum non minimum eorum dignitatis argumentum præbeat, silentio transmittendum non est.

IV

SCABINORVM PARTES IN IUDICIO CRIMINALI

Sed ut propius ad institutum nostrum accedamus, in primis æstimandum est, quæ Scabinorum fuerit autoritas in iudicio Criminali? Nec enim tractabant solum causas civiles, veluti bonorum possessionem, LL. LONGOB. *lib. II. tit. 10.* hereditatis petitionem, IB. *tit. 41. l. 7.* Marcarum distinctionem, GOLDAST. *Script. rer. Alam. Tom. II. p. 60.* rerum immobilium & mancipiorum redhibitionem, LL. LONGOB. *lib. II. tit. 52. l. 10.* aut de ponderum mensurarumque æqualitate; CAPIT. *addit. II. c. 20. lib. III. c. 90.* verum & in causa sanguinis & capitali iudicio, cognoscendi decernendique gaudebant potestate. Liqueat illud ex præcepto LVDOVICI PII Imp. Hispanis dato ubi *c. 2.* hæc de Comite & Mallo, sive publico iudicio, cui affidebant Scabini, habentur: „*Ipsi pro majoribus causis, sicuti sunt homicidia, raptus, incendia, depravationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum, invasiones, & undecunque a Vicino suo criminaliter fuerint accusati, & ad Placitum venire iussi, ad Comitum sui mallum venire, omnimodo non recusent.*” Larius, quæ apud Saxones veteres delicta fuerint capitalia, & quænam fuerit forma jurisdictionis Criminalis in Saxonia nostra, exponit *Capitulatio I. CAROLI M. de partibus Saxonia, quæ habetur in Monumentis Paderbornensibus p. 329. seq.* Totumque Processum Criminalem, coram Scabinis ventilatum, satis declarant Excerpta, quæ ex *Codice antiquo Civitatis Hervordiensis, vulgo Schöpsen-Buch dicto, & sub Carolo IV. Imp. circa A. 1300.* ut

ut videtur, conscripto, adjecit Tractatu suo *de iudiciis Centenariis*, MEINDERS, p. 269. Demum formam iudicii Criminalis solennis, des gehegten hochnothpeinlichen Halsgerichts, & interrogationes formulaeque solennes, a Iudice & Scabinis ibi recitari solitas, quas in hunc usque diem usus fori servat, accurate describunt CARPZOV *Prax. Crim. P. III. qu. 136. Keyser Prax. Crim. p. 758.* & CHR. JAC. HEIL, *Iud. & Defens. in Proc. inquis. c. 6. §. 65. 66. p. 459. seq. item p. 472. seq. & ex more iudicii Lipsiensis, p. 478. seq. & Wittebergensis, p. 483. seq.* Ut res omnis clarius evadat, ductum sequar ORDINATIONIS CRIMINALIS CAROLINAE, indeque cum interprete eius omnium praestantissimo, Exc. KRESSIO in *Comment. ad d. Conf. Crim. Art. 1. seq. §. 2.* quamcumque Scabinorum necessitatem in iudicio Criminali, ad quatuor summa capita revocabo. Scilicet requiruntur ii 1) *ad constituendum iudicium, O. C. art. 1. §. 84.* ibi: Alle peinliche Gerichte sollen mit Richtern, Urtheilern, und Gerichtschreibern versehen *zc. und nicht unter sieben oder acht Schöffen besetzt seyn zc. KRESSIUS l. c. ad Art. 80. §. 6. & Diff. de rationibus decidendi, p. 10-20.* 2) *ad cause cognitionem:* quo pertinet ocularis inspectio corporis delicti, *O. C. art. 149.* ibi: der Richter soll sammt zwey Schöffen, dem Gerichtschreiber, und einem oder mehr Wund-Aerzten, den todten Körper vor der Begräbnis mit Fleiß besichtigen *zc. HEIL. l. c. cap. 1. §. 5. p. 6.* Confessionis rei spontaneae eliciendae tentatio, *O. C. art. 46.* Der Gefangene soll zuvor in Gegenwart des Richters, zweyer des Gerichts, und Gerichtschreibers, wegen der Ubelthat befragt werden, ob er dieselbe in der Güte bekennt? CARPZ. *Qu. Cr. 124. n. 9.* summarium examen delinquentis, itemque examen ad articulos, *O. C. art. 181. 182.* ibi: alle Handlung, so peinlicher Klag und Antwort halben geschieht, soll der Gerichtschreiber zum wenigsten vor dem Richter, oder seinem Verweser, und zweyen des Gerichts, eigentlich, unterschiedlich und ordentlich aufschreiben; *Keyser Pr. Crim. p. 346. seq. BRVNNEMANN Anleit. zum Proc. inquis. c. 1. §. 10.* Examen testium, *O. C. art. 71.* ibi: der Richter samt zweyen Gerichts-Personen dazu tüglich, und dem Gerichtschreiber

149

schreiber, sollen die Rundschaft mit Fleiß verhören *rc.* HEIL. *l. c.* cap. 3. §. 20. Confrontatio rei cum testibus, *Id.* p. 105. Tortura rei *O. C.* art. 47. *ibi*: Beklagter soll peinlich gefragt werden, in Gegenwartigkeit des Richters, und zum wenigsten zweyer des Gerichts, und des Gerichtschreibers *rc.* LVDOVICI *append. Introd. ad Crim. Proc.* c. 2. §. 13. *seq.* Ratificatio ejusdem extra locum torturæ, CARPZOV. *Prax. Crim. Qu.* 126. n. 29-32. Convictio rei, in die executionis crimen confessum negantis, *O. C.* art. 91. *ibi*: der Richter soll die zwey geordnete Schöffen, so mit ihm die Urgeicht und Bekännniß gehört haben, auf ihre Ehde befragen *rc.* KRESSIVS *l. c.* ad d. Art. 91. §. 1. *seq.* 3) ad ferenda vota, *O. C.* art. 92. 93. wie die Schöffen oder Urtheiler durch den Richter gefragt werden, und ungefährlich antworten sollen? *rc.* 4) ad formandam sententiam, *O. C.* art. 81. *ibi*: darauf sich Richter und Urtheiler mit einander unterreden, und beschliessen, was sie zu Recht sprechen wollen *rc.* *item* art. 94. wie der Richter die Urthel, auf obgemeldten Schluß der Schöffen und Urtheiler, öffnen soll? *rc.* Ac ut tanto minus de præsentia Scabinorum dubitari possit, moris est, ut ipsi subscribant Registraturas, super singulis his actis in judicio Criminali ab Actuario, eodemque Notario publico, DEC. EL. SAX. 38. confectis. BEYER *delin. Jur. Crim. ad O. C.* art. 181. *seq.* pos. 4. Olim etiam Executio sententiæ cuiusdam e junioribus Scabinis committi solebat, quem Carnificis officium subire, & reum laqueo suspendere, non magis turpe habebatur apud Germanos veteres, FREHER. in *not. ad Tr. de occult. Westphal. judic.* p. 48. KRESSIVS *Comment. ad Const. Crim. art. 95. seq.* §. 2. *not.* 2. quam idem moris erat in Republica Hebræorum, cujus Principes populi, si testes capitalium scelerum fuerint, in lapidationis supplicio primum lapidem in fontem immittebant; *Deut. XVII. 7. conf. 1. Sam. XV. 33. Job. VIII. 7.* Id quod plurimis aliarum gentium exemplis confirmant BODINVS *lib. III. de Repub.* p. 361. & PICCART. *Comm. ad lib. VI. Polit. Aristot. c. 8. conf. LL. LONGOB. lib. II. tit. 6a. & BESOLD. Thesaur. pract. voc. Scharfrichter.* Quæ hodie

C

num

num Antiquitatis patriæ, circa Scabinorum necessitatem in causâ criminali, supersint vestigia, ut solet, scite admodum rimatur ostenditque ill. HEINECCIUS in *Elem. Jur. Germ. lib. III. §. 344. seq.* quo harum Amoenitatum cupidum Lectorem remitto, illud monuisse fatagens, quod quæ Carolina Nemesis in *ll. cc.* præcipit, de adhibendis Judicio Criminali Scabinis, pleraque nostrorum etiam judiciorum usu, quam bene, vel male? infra statuam, recepta sint.

V

FICTA SCABINORVM NECESSITAS IN CAUSA CRIMINALI QUÆ DELEGATUR COMMISSARIIS PRINCIPIS

Quæ hucusque a me disputata sunt, facilem & expeditam nunc reddent decisionem, memoratæ supra questionis dubiæ: num scilicet in causâ Criminali, quæ delegatur Commissariis Principis, eadem quæ alias in capitali judicio, Scabinorum sit necessitas? anne vero, citra nullitatis vitium, hic exulare queant? Vidimus auctoritatem Scabinorum veterum, hincque causam penetravimus, quare maximarum causarum civilium decisio, ac vitæ ipsius & sanguinis humani arbitrium ipsis commissum fuerit? Scilicet simplicitas istorum temporum, & prisca fides majorum nostrorum, quibus ignorabantur fraudes atque technæ, queis nunc protelari solent lites, & apertissimorum scelerum patrocinium suscipitur, & LL. omnium vis ac auctoritas eliditur; hi, inquam, sancti & incorrupti mores facile admittebant ejusmodi iudices, quos modo descripsimus, Romanorum videlicet magistratibus similes, de quibus CICERO in *Orat. pro Cn. Plancio*, quod „delegerit eos populus Rom. quasi reipublica villicos, in quibus, si qua præterea fuerit ars, facile passus fuerit, si minus, virtute eorum & innocentia contentus.“ Hi si in nostrâ fora redirent, bone Deus! quam impares forent tot LL. tricis ac subtilitatibus, tot Exceptionum & defensionum commen-

tis

tis removendis, quæ nostra ætas parturit, & hujus Seculi rabu-
 læ fingere, artis esse putant. Vilissimæ lites, quæ nunc exercent
 judicia, a limine eorum olim plane arcebantur; arduæ causæ autem
 de simplici & plano tractabantur, & criminum gravissimorum
 cognitio uno sæpe die finiebatur, quo hodie vix delinquentium
 examen summarium absolvi videas. Exempla vide in WECKII
Chron. Dresd. p. 482. seq. & MVLLERI Annual. ad A. 1470. Vnde
 ergo ignorantia, & literarum imperitia, quam teste JOSEPHO
contra Apionem lib. II. & olim judices Romani profitebantur,
 doctos proinde sibi post terga collocantes Assessores, AM-
 MIAN MARCELLIN. *lib. 23. c. 12.* & veteres Scabini Germa-
 norum adeo non dissimulabant, ut hinc in mallum suum *Sc-*
chibarones seu Jctos adsciscerent, L. SAL. *l. 57. §. 4.* OCKEL.
de palat. Reg. th. 156. quæque etiamnum apud plerosque civico-
 rum æque ac paganorum judiciorum Assessores regnat, CARP-
 ZOV. *Prax. Crim. Qu. 116. n. 18. 19.* ipsos inhabiles non facit: diu
 tamen exolevit mos, ut ab his judicibus ferantur sententiæ, quas
 utique in causis Criminalibus jam Carolus V. in ORD. CRIM.
art. ult. ab Academicarum Dicasteriis, & in Saxonia Divus Au-
 gustus, emissio *A. 1579. M. Jan. ad Scabinos Lipsiensis Rescripto*, item-
 que in ORD. POLIT. *de A. 1612. tit. von Justitien Sachen, n. 5.*
 a Scabinatibus juridicis peri, graviter jusserunt. Nulla proinde
 hodie est Scabinorum paganorum jurisdictio, nec amplius in ju-
 diciis Præfeclorum atque Nobilium, tanquam judices aut confi-
 liarii, sed tanquam testes, auditores, ministri, præcones & exe-
 cutores assident. COLER. *de Proc. exec. P. II. c. 1. n. 131.* ill. LEY-
 SER *Medit. ad ff. spec. 70. m. 3.* Cæterum a nutu judicis & jussu
 ejus unice dependent, & quicquid præcipit ille, exequuntur, sola
 sibi obsequii gloria relicta. Sic v. g. in Executionibus, Subha-
 stationibus, Locationibus, aliisque litibus, agros, pecora, & in-
 strumenta rustica æstimant; in testamentis, coram judice conden-
 diam dicunt; Edicta Principum, judicumque mandata subditis
 prælegunt, ac nota faciunt; operas a rusticis præstandas indi-

cunt, & distribuunt; collectas publicas, veluti ad milites alendos, sumtus inquisitionum, stercas &c. ab iis recipiunt; partitionibus operarum collectarumque intersuat, ne quis præ altero gravetur, provident; perquisitiones domesticas instituunt; fugitivos delinquentes persequuntur, & mandant carceri in cadaverum repertorum translatione, vulnere inspectione, reorum examine & tortura, ipsiusque demum Sententiæ capitalis executione, solennitatis gratia iudici adstant; denique administrationi rerum universitatis, & quicquid ad commoda eius pertinere vident, diligenter prospiciunt; & quæ sunt reliqua, quæ late persequitur Consult. Dn. D. SPECHTIVS in Diss. supra laudat, de *Scultet. & Scabin. ib. 4.* DOEHLER im *Schein und Seyn des Richterlichen Amtes, p. 20. 21.* Mireris hinc, qui Icti magni nominis statuere non addubitarunt, quod cognitio omnis Criminalis, licet a perito iudice, & Actuario jurato, eodemque Notario publico, Dec. *El. Sax. 38.* peracta, & quod magis, si vel ipsi Commissario Principis causâ delegata fuerit, nullitatis vitio laboret, quando eadem nulli intercesserunt Scabini. Ac factum id, non solum in genere, de omni Inquisitione statuendo, videas a Ictis supra in num. IV. allegatis, ac in primis a CARPZOVIO in *Prax. Crim. Qu. 113. n. 39. seq. & Qu. 126. n. 31. seq.* qui ORD. CRIM. li. cc. *Reserv. El. AVGVSTI de A. 1579.* ibi: in *Beiseyn der Gerichts Persohnen* etc. ORD. POLIT. de A. 1612. t. von Justit S. n. 5. & SCAB. LIPS. *Sententia M. Jul. 1622.* nititur, item a BEYERO ad *Const. Crim. art. 181. pos. 4. & LVDOVICI ad cand. art. 189.* verum etiam quoad Commissarios Principis propositum in *Dissertationis prooemio* casum, in terminis, quod ajunt, ita decisum reperias a ICTIS WITTEBERGENSIBVS, *M. Mart. 1694.* apud BERGERVM in *supplem. ad EleEl. Jurispr. Crim. P. II. obs. 195. p. 512 seq.* iterumque a SCABINIS LIPSIENSIBVS, *A. 1713.* teste HEILIO in *Proc. Inquis. c. 5. p. 289. n. 2. 2.)* Sed penitemus, quæso, rationes, quibus suam sententiam tuentur. Ajunt 1) ORD. CRIMINALEM, quam cuicumque iudici datam, *Art. 7. Stat. &* in quavis causâ Criminali, hincque delegata etiam Commissariis Prin.

Principis, vim suam & auctoritatem obtinere volunt, diserte præcipere, quod per totum Processum inquisitorium, quoties actus majoris momenti expediendus est, duo minimum Scabini, & in Judicio Criminali solemniori, dem hochnothpeinlichen Halsgerichts, omnino septem adhiberi debeant. Textus, qui id probant, supra num. IV. larga manu congesti. Provocant 2) qua nostram Saxoniam, ad Rescriptum sæpe laudatum El. AVGVSTI de d. Annaberg. M. Jan. 1579. apud CARPZOV. in Pr. Crim. qu. 107. n. 69. itemque ad ORD. POLIT. de A. 1617. t. von Justit. S. n. 5. quæ præsentiam Assessorum Judicii ad formam inquisitionis Criminalis desiderent; denique ad O. P. S. Recogn. tit. II. §. 6. quæ non obscure sancit, etiam subscribi debere Registraturas Criminales a Scabinis, ut plena ipsis fides tribuatur. BEYER ad O. C. art. 181. pos. 4. Virgent 3) quod Princeps semper præsumatur, causæ Criminalis cognitionem ita demandare Commissariis, ut servato juris ordine procedant, nec eos extra ordinem constituendo judices, ab observatione LL. publicarum, maxime Ord. Criminalis, dispensasse videatur. RVTGER. RVLANT. de Commissar. & Commiss. P. I. lib. III. c. 3. n. 13. ubi ideo Commissionibus, a Camera Imperiali decerni solitis, clausulam generalem adjici tradit: „Und sollet ihr nichts anders thun, gebieten, handeln, denn was die Nothdurfft hierinnen erfordert, und sich rechtlicher Ordnung nach gebühret ic.“, ex cujus vigore n. 22. concludit, Commissarium nihil, quod sit Ord. Camerali, addo: Criminali, (utique cum causas criminales, tanquam nimis arduas, vix delegari ibi fas sit, ID. l. c. P. I. lib. II. c. 3. n. 4. seq.) adversum, peragere posse. IDEM l. c. P. I. lib. V. c. 16. n. 1. quemvis actum a Commissario in præsentia adjuncti Notarii, & NB. secundum varia Commissionum genera, sæpe quoque aliarum personarum, ut peritorum & testium, fieri debere contendit. Conf. CARPZOV. Prax. Crim. Qu. 136. n. 44. seq. At his dubitandi rationibus alia, ni fallor, fortiores obstant rationes decidendi. Scilicet 1) notum est, quod Commissarius Principis eadem cum Committente persona esse censeatur, idemque prorsus

sus sit, num Princeps ipse in propria persona, an Commissarius
 ejus, cui suam auctoritatem commodat, & cujus fidem approba-
 vit, causam cognoscat? l. 1. §. 1. D. de off. ej. cui mand. est jurisd.
 add. l. 3. cod. ill. LEYSER *Medit. ad ff. spec.* 27. m. 2. In Auditorio
 vero Principis 2) multa ex solemnibus Processus, & iis, quæ
 sunt juris positivi, remittuntur, CARPZOV. *Proc. tit. 9. art.*
3. n. 99 isque non servatis apicibus juris, & ordine judiciario
 subditis præscripto, sola rei veritate inspecta, procedere pot-
 est soletque. NEGYZANT. *Consil. 26. n. 1. & consil. 20. n. 39.* Id
 quod 3) videre est in multis, & ab ipsis adeo LL. approbatis
 causis. Ita namque in testamenti insinuatione, si ea Principi fiat,
 nullis plane testibus opus est; cum ejus præsentia omnes sole-
 mnitates superet, & quod sit coram Principe, toto jure teste
 fieri intelligatur, l. 19. C. de testam. a. l. 31. C. de don. non obstante
 l. 3. C. de testam. STRYK *de cautel. testam. c. 7. §. 12. & 16.* BERGER
 P. II. *supplem. ad E. D. F. p. 1743.* FRANC. ERN. VOGT.
in diff. de solemnitatibus, earum natura, usu & abusu, edita Kilonii
 A. 1712. Sic donationes, quæ a Principe in privatam, aut a pri-
 vato in Principem fiunt, cujuscunque quantitatis sint, non egent
 gestis monumentorum, sed ex hoc ipso virtutem habent, dicen-
 te Nov. 52. c. 2. add. l. 19. C. de SS. Eccles. CARPZOV. P. II. C. 12. *def.*
16. n. 1. Sic item, licet alias, qui subditus non est, per subsidium
 ejus magistratus; sub quo degit, in jus vocari debeat; CARP-
 ZOV. P. I. C. 2. *def. 27. 28.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. en. 28. 30.*
 Commissarii Principis tamen, & ipsarum Curiarum Provincia-
 lium, quæ saltem Principis nomine jus dicunt, quia & Consi-
 storiam extra Saxoniam, SCHILTER *Instit. Jur. Can. lib. I. t. 5. §.*
16. ibique HORN. *in Addit. huic Ord. Processus præscripto adeo*
non alligantur, ut partes atque testes, irrequisito iudice, imme-
diatè citare possint. CARPZOV. *Proc. tit. 7. art. 3. n. 22. seq. & lib.*
III. Resp. 23. itemque *Decis. 208.* RVLAND. *de Commissar. P. I. lib.*
V. c. 3. n. 25. BERGER. *E. D. F. t. 4. obs. 4. p. 78.* WERNHER
Obs. for. P. I. c. 233. add. ill. MENCKENII *Diff. de immediata Prin-*
cipi-Commissar. citatione. Demum 4) vel ex ipsa Antiquitate Ger-
 manica

manica Scabinorum, illud præsententia veriore facit argumentum, quod si vel coram Missis Regiis, ad quos, uti supra dictum, a sententiis Scabinorum appellari poterat, causa ventilaretur, vel ipsi Placita sua ordinaria in Mallis haberent, possent etiam citra Scabinorum præsentiam, quos, uti itidem monuimus, prævaricantes dignitate exuere, ac ejicere poterant cognoscere, & tanquam Commissarii Principis, ceu eos expresse vocant **GOLDASTVS** in *Gloss. voc. Tenton. Tomo III. Const. Imp. præf. & OCKEL. de palat. Reg. tb. 54. p. 47.* causam decidere. Ut taceam 5) contra dignitatem Principis ejusque Commissariorum fore, si, quo auctoritas & fides constet eorum cognitioni, Scabinos, vilissimæ sæpe conditionis homines, adhæc ut plurimum imperitos, & vix literas pingere gnaros, in consortium admittere, cumque iis sententias conferre jubeas Rectissime ergo Exc. **KRESSIVS** in *Comment. ad Const. Crim. Art. I. §. 9.* statuit, Scabinos hodie, in judiciis capitalibus ubi adhibentur, solennitatis fere causâ tantum adhiberi; cum nec vota illorum exquirantur, nec ex iis sententia formetur, sed ex plerumque a Collegiis & Scabinatibus juridicis, quos a Scabinis nostris multum differre, supra monuimus, peti soleant. conf. **ID.** ad *Art. 91. §. 1. ibique not.* Quæ vero ad solennitates tantum pertinent, Principem ejusque Commissarios neutiquam tenere, modo demonstratum est. Eadem sententia **BEYERI** ad *O. C. art. 4. pos. 5.* dum Scabinis, Judiciis Criminali assidentibus, non alias hodie partes tribuit, quam ut solenne carmen suum ex scheda recitent. Clarissime omnium verò de tota lite pronunciat **BERGERVS** in *Oecon. Jur. lib. IV. t. 6. not. 1.* ita: „Quod ad
 „Processum inquisitorium attinet, nihil vetat, quo minus is a giudice
 „atque Actuario, **SINE SCABINIS**, expediri possit. Namque **ORD.**
 „**CAROL.** art. 46. 47. 48. quibus eorundem Scabinorum præsentia in-
 „jungitur, loquuntur de casu, cum vel tortura, vel pena capitis executioni
 „mandanda est; art. autem 181. de processu accusatorio, itemque causis
 „proprie criminalibus, **peinliche Sachen.** Itaque inde male arguitur
 „ad Processum inquisitorium, si quidem pena, non corporalis, sed alia
 „levior, puta: relegatio, carceris, aut pecuniaria sit discutanda. *Quam*
 „senten-

„sententiam *Vsus fori satis confirmat, quemadmodum Fac. Jur. Witteb.*
 „respondit, *M. Sept. 1690.* „ In quo gravissimo iudicio totus ac-
 quiesco, inde autem merito sic argumentor, quod si nec alias
 in causa Criminali tanta est necessitas Scabinorum, quæ vulgo
 venditur, multo magis ea ficta habenda sit, cum delegata illa
 fuerit Commissariis Principis. Facilis proinde erit responsio ad
 excitationes supra rationes dubitandi. Nimirum quoad 1) nullo
 argumento evinci potest, quod **CONSTITVTIO CRIM.** ipsi
 Principi modum procedendi præscribat, quem utique ex pote-
 state Legislatoria novam Ordinationem condere posse constat;
 & si vel maxime inferiora Iudicia sua ex illius præscripto vivere
 patiantur, sibi tamen atque Delegatis suis inde legem dicere vetat.
 Multo minus 2) LL. a se ipso latis, veluti Saxonis, adstrictus
 erit, non obstante §. *fin. l. qu. mod. testam. infirm.* Ac inprimis
O. P. S. Recogn. t. II. §. 6. dispositionem male huc trahi, tum ex
 verbis *O. V. d. tit. §. 2.* die von uns mit Gerichten beliehen, oder
 dieselben in Übung haben etc. quæ ad eos, qui jurisdictionem pa-
 trimonialem habent, non item ad Commissarios pertinere viden-
 tur; tum quod de superioribus Iudiciis eorumque Secretariis &
 Protonotariis, non hoc, sed præced. §. *l.* agatur, optime colligit
GRIBNER Princip. Proc. judic. in Proleg. §. 10. not. d. Denique
 ad 3) concedo, Commissarios, perinde ut alios iudices, servato
 juris ordine, non tumultuarie procedere debere. At hoc aliud
 est, quam singulas solennitates, omnes apices juris observare,
 & inhærendo cortici verborum LL. ea quoque in expediendo
 negotio servare, quæ admissa dignitati Committentis fraudi fore-
 rent: inter quæ, ut Commissarii Scabinos paganos, Commissio-
 nis suæ arbitros & socios veluti adsciscant, merito refertur. Stat
 ergo sententia, fictam & imaginariam eorum esse necessitatem,
 quam citra omnem nullitatis Processus formidinem
 migrare licet.

Q. E. D

DECAS

DECAS CON TROVERSIARVM JVRIS
CRIMINALIS

I
Maritus uxorem in adulterio deprehensam, impune quidem
occidere potest; at vix salva conscientia. *Dissent.* III.
COCCEJVS in *Jur. Civ. Controv. lib. XLIX. tit. 5. qu. 1.*

II

Actio ad Palinodiam post Litis Contestationem, in heredes
injuriantis transitoria est. *Dissent.* MEVIVS P. II. De-
cis. 136.

III

Fur, rupto laqueo, licet citra dolum, delapsus, denuo
suspendi debet. *Dissent.* COCCEJVS in *Diss. de proportio-
ne furri ac suspendii, rupto laqueo, edita Francof. A. 1697.*

IV

Abortus procuratio, non quidem regulariter Jure Civ.
bene tamen hodierno, ultimo supplicio punitur. *Dissent.*
Exc. IO. WOLFG. TRIER, in *Dissert. de vita fetus hu-
mani in utero, edita Francof. ad Viadr. A. 1737.*

V
Princeps jure aggratiandi, quoad penam capitalem in
homicidio doloso, non gaudet. *Dissent.* D. PHIL. LVD.
HANNEKENIVS in *Diss. de jure gratiae Principis Chri-
stiani in reos noxae capitalis, edita Witteb. 1701.*

VI

VI
Inferior, veluti Carnifex, miles &c iussa superioris, de
quorum iustitia dubitat, impune exequitur. *Dissent.*
GROTIUS *de Jur. B. & P. lib. II. c. ult. f. 4.*

VII
Advocatus de iis, quæ ex mandato Clientis pro ejus de-
fensione scribit, injuriarum non tenetur, quamvis ea
falsa fuerint. *Dissent.* HERTIVS in *Parern. Jur. 98. rubr.*
Wehrmann haben, hilfft nicht,

VIII
Non peccant Sacerdotes, qui in concione delicta publice
commissa vel vulgata arguentes, faciunt, ut, quem re-
prehendant, intelligi possit. *Dissent.* Exc. IO. RVD.
ENGAV, in *Tr. de Jur. Princip. Evangel. circa Oratores*
sacros, edito A. 1738. f. 24.

IX
Vtraque regula vera est: Veritas Convitiï excusat: & Ve-
ritas Convitiï non excusat. *Dissent.* ANT. MATTHAEI
de Crim. lib. XLVII. t. 4. c. 1. n. 8.

X
Hæresis & Schisma non sunt Synonyma. *Dissent.* SCHIL-
TER *Instit. Jur. Can. lib. I. tit. 3. f. 6.*




Wittenberg, Diss., 1739 (1).

ULB Halle 3
003 700 429



Sb





1739 7 8 / 50

D. B. 7

EX JURE GERMANICO
de
ficta necessitate Scabinorum
in causa criminali
quae delegatur Commissariis
Principis

P R A E S I D E
FRID. BENEDICTO CARPZOVIO
IVRIVM DOCTORE
AD D. XXX. MAII A. R. S. CIO IO CC XXXIX
PVBLICE RESPONDEBIT
CHRISTIANVS GVILIELMVS NATHVSIVS
LVCCA LVSATVS

VITEMBERGAE PRELO HAKIANO